

est ipse discursus. Discursus enim est actio mentis, quæ ad-
 miniculo instrumenti Logici meliùs perficitur; illativus qui-
 dem ad miniculo syllogismi, ordinativus verò ad miniculo
 methodi. Hinc Philosophi syllogismo accõmodant tres cu-
 jusq; instrumenti conditiones; quarum prima est, ut non sit
 pars rei, quæ eo efficitur; secunda, ut perfecto opere, à re vi-
 cissim segregetur; tertia, ut subjiciatur operanti & ab eo di-
 rigatur. *Piccolom. 2. Phys. acroas. ad cont. 18.* Hinc patet, quòd
 nobilissimi hujus instrumenti Logici finis adæquatus sit
 subservire principali agenti, ut fabricet syllogismum realem,
 seu formam syllogisticam in materiam aptam inducat. Ad
 extremum notetur in definitione quod dicitur, *ut vi illius*
dispositionis necessariò inferatur &c. His verbis indicatur,
 omnem syllogismum esse necessarium ratione formæ. *Zab.*
1. post. ad cont. 45.

Syllogismi spectantur partes, communes affe-
 ctiones & species.

Partes syllogismi sunt materia & forma. Vulgò
 dicimus materiale, & formale.

Materia syllogismi est remota, vel propinqua.

Materia syl-
 logismi.

Illa dicitur ab aliis prima, hæc orta: aliis illa est simplex,
 hæc complexa.

Materia remota sunt termini, in quos syllogi-
 smus resolvitur.

Appellantur termini, quia syllogismus in eos resolutus
 terminatur. *Fonsec. lib. 5. log. cap. 1.*

Termini sunt tres: major, minor & medius.

Hæc de re est canon:

In syllogismo sint tres duntaxat termini.

Ratio præcepti est; quia in syllogismo est quæstio compo-
 sita. At illa duobus constat terminis. Horum terminorū dis-
 positio ostendenda est. E. necessum est adsit tertius terminus.
 Nam duo extrema non coherēt sine medio. Objicis, in sorte
 plures esse terminos? Resp. Sorites est syllogismus congloba-
 tus, qui si resolvatur in solitarios, constabit veritas canonis.
 Alii solēt contra canonē hunc afferre hoc exemplum: Horis
 matutinis homo verè est homo. At Philosoph⁹ est homo. E.